



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Epistola Pondi ad concaptuos. Ibid.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

custodia qui læsæ maiestatis, & grauiorum criminum rei peraguntur; ad *1575*
Nouam-Portam plerumque relegantur latrones, sicarij, facinorosi. Hi se-
 mel omnes fuere necessariò percussendi, quoniam modo hi, modo illi
 Catholicis obtingere consuevere, pro arbitrio eorù in quorum manus incide-
 rint, & singuli pro re nata frequenter venient commemorandi. *Pondo*, post
 duorum mensium custodiam *Wintoniæ*, carcer Londini Sedes-tribuni fuit:
 Hornus enim nè rursum super *Lerinen*sis sententia sollicitaretur, causam
 ad ordinarios iudices transfulerat, Hi dubij quid de Catholicis laicis v-
 niuersim *Regina* statui vellet, cunctos mittunt *Londinum*. Isthinc *Pon-* Epistola
du ad reliquos sic scribit. "Sapius interrogatus sum apud Dominum *Youn-* Pondi ad
ge, Bis apud quinque vel sex commissarios; semel publicè productus in concapti-
 uos.
 maximam hominum frequentiam, onustus ferro; (nimirum existimabar
 liberius stesisse pro veritate coram ijs quibus non libebat audire) dum hinc
 abstrahor ad *nouam-portam*, caruifex quasi iam damnato abripit eum pal-
 lio pileum: caput mihi saluum reliquit; id æquè mihi atque illi doluit; In-
 tecto caput, & graui ferro progredienti, acclamat plebs, *Crucifige*. *Nouæ-*
portensis viduæ elemosynam (cruciamenti id genus est) liberaliter mihi
 impertierunt. Ad quartam vsque pomeridianam præstolabar Iudicum
 sententiam, cum repentè auotor; manicæ pedicæque detrahuntur, restitu-
 itur cum pileo pallium: ducor ad *Lincolniensem* Aulam, (quæ mihi olim
 legibus danti operam fuerat habitatio) isthic Commissarij quinque me
 opperiebantur, & eos inter *Toplisus* quæstionibus præfectus; ab *Re-*
gina mandatum fuerat, vt quâ minando quâ blandiendo me ab ins-
 tituto reuocarent; frustra omnia: vrgent, si fidum me velim *Reginæ*, si
 amantem subditum demonstrare, necesse esse eorum nomina vt edicam
 cum quibus, & quibus in locis mihi esset consuetudo: Respondeo: Pa-
 ratum me esse de eorum omnium fidelitate etiam iuratum promittere; Cæ-
 terum non viri boni, atque Catholicici, non hominis meo loco nati, at-
 que educati, non Conscientiæ denique meæ esse viris innocentibus atque be-
 neuolis molestiam quamlibet nominando procreare. Cum nihil impetra-
 rent, humanissimis verbis affectum me meo carceri reddunt. Post biduum
Toplisus ad me cum præposito carceris: amicè animi mei constantiam per-
 tentant: multa hic disceptatio: profectus nullus: conditionem meam deplo-
 rant: id maximè eos dolet, de quo plurimum ego glorior, fides atque fidei
 causa captiuitas. Post hos, rursum *Youngus* accersitum rogat, quid ad me
Toplisus? verbeatur homo (vrbanus videlicet & suavis) nè austerus ille &
 asper quidpiam durum & agreste in me egisset. Familiarissimâ voce demul-
 cere conatur vt familiares meos prodam; vt arcanum quidpiam enuncie quod
 ipsi vlui esse posset ad nequitiam. Nihil efficit. Hortatur tandem vt ad magni
 sigilli custodem literas dem, gratiam impetraturus: do: eo fructu, vt mihi me
 deinceps curarint, pertinacem, scilicet, hominem, & omnium meci ordinis ab-
 regni

1576. regni salute publicâ (hoc est) ab hæresi maximè alienum. Itaque hic sum, seclusus ab cæterorum omnium consortio, sine spe laxioris custodiæ, nisi forte in proximo Nouoportensi Iudicio rursus sistar, obsequij Deo præstiti fideique Catholicæ conseruatae reus. Hæc ad vos (ô Socij vinculorum) dare habui, vt sinistris de me rumoribus obuiam irem, volque ad eam quam opto in fide perseverantiam omnibus votis adhortarer. Va-
lete.

Parat se
ad mortem
subeundâ.

X X. Multa liberè dicta apud caufarum cognitores, præsertim de potestate ab Regina usurpata in res Ecclesiæ, non opinionem solum sed spem iniecerant posse se proximis Iudicijs ad dicendum de capite vocari. Ea propter, mortem præforibus figurans, nullum pietatis genus omittebat, quo se tum ad exitum felicem compararet, tum etiam accenderet desiderium, prece, lectione, scriptione. Non pauca enim hoc tempore est commentatus, memorię commendata diligenti manu nostri *Thomæ Stephasoni* (quem vidimus vt dictum est Watenis) Præcipua fuere; vt pœnitentiæ necessitatem demonstraret quatuor argumentis. A multitudine peccantium: ab falsorum prophetarum ingenti numero: A crudelitate Turcarum & hæreticorum: ab nuperis de cælo & de terra ostentis: adiunctis Capitalium vitiorum omnium remedijs. Tum decem sibi solatia contexit ad mortem a lacri animo subeundam incitantia: Quod morte esset peccata sua expiaturus: Quod Dei & iustitiæ causa, & Christi exemplo vitam profuturus priusquam aut Angliam euerfam (quod iam tum ominabatur euenturum) aut AntiChristi tempora videret: tum etiam fidei sementem qualicunque suo sanguine rigaturus, & tantillum ad constantiam Catholicorum, hæreticorum dedecus, Religionis defensionem allaturus. Sed ea ad quam adspirabat breuis mors in diuturnos carceres est commutata, de quibus strictim dicendum, nè vnus vitam retexendo Historiæ filum habeamus nimis implicatum. Cum enim non cessaret verbo & scripto tum Regiæ in Ecclesiasticis principatum incessere, tum Catholicorum animos confirmare, Elmeri Londinensis diligentia amotus est in castrum Storfordiense, in finibus Cathalaunorum & Trinobantum, addito præcepto nè ad eum cuiquam pateret ingressus. Fabro aptante ad pedem ferro conatur compedi osculum imprimere, Faber compedem capiti impingens elicit sanguinem: at *Thomas*, sereno vultu, "vtinam inquit, hic sanguis ex imis meis fluxisset præcordiis eâ pro quâ patior causâ; percussus Faber viri patientiâ scire auct quid hoc causæ sit, & quibus nixa fundamentis. Annis post aliquot accedit ad Catholicos; tenetur; & in Carcere piè defungitur; *tanti est constantiam in asperis tueri. Ponus* post annum ad Mariscalli sedem reuocatur, tum in Arcem Londinensem comprimitur: Inde defertur in Nomistiria trans Tamesim, atque hinc Wisbicum Insulæ Eliensis propugnaculum, vbi plures annos cum pluribus Sacerdotibus & laicis versatus est
& la mi-

Mutatis
frequenter
carceribus
tandem do-
mum pater-
næ mori-
tur.

Essexios
nunc voca-
mus & Cæ-
tabrigien-
ses.

Fabri fer-
rarij con-
uersio.